

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (13)

4. DE TEMPORE (ARCHI)ABBATIS NORBERTI WEBER

4.1. DE NORBERTI WEBER IUVENTUTE

Cum Norbertus Weber die 18^o m. Dec. a. 1902^o primus abbas monasterii Otteliensis electus esset atque Kalendis Febr. a. 1903^o benedictionem abbatialem accepisset,¹ sors futura abbatiae congregationisque magnā ex parte in eius manibus ducentibus erat. Itaque scitū dignum esse videtur saltem breviter inquirere in quaestiones, ex quā familiā ille vir exoriundus sit, quid de eius iuventute cognoscatur, quid primis annis monasterialibus fecerit.

Natus erat Iosephus Weber (hōc erat eius nomen baptismale) die 20^o m. Dec. a. 1870^o in oppidulo Langweid² ex familiā satis simplici.³ Eius pater, cuius praenomen etiam erat Iosephus, munere custodis ferriviarii fungebatur, eius mater Valpurga - sicut illo tempore erat usitatum - erat domiseda. Parentibus erant tres liberi, cum Iosepho/Norberto esset frater natū maior, qui Maximilianus appellabatur et qui die 15^o m. Iun. a. 1868^o natus erat, atque soror iunior Marianna anno 1872^o nata.⁴

¹ Cfr supra cap. 3.4.4.

² Hōc oppidulum quadraginta chiliometris ab monasterio Otteliensi distans in dioecesi Augustanā situm erat.

³ Cfr Cyrill SCHÄFER: Stella maris. Größe und Grenzen des ersten Erzabtes von St. Otteli P. Norbert Weber OSB 1870-1956. St. Otteli 2005, p. 25; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Otteli. St. Otteli 1992, p. 131; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 11. Weißenhorn 1976, pp. 327 sq.; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächtnis. In: Die katholischen Missionen 75, 1976, p. 113; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Norbert Weber. In: Benediktinische Monatschrift 32, 1956, p. 218; Chrysostomus SCHMID: Ansprache bei dem Trauergottesdienst für den am 3. April 1956 in Litembo, Ostafrika, heimgegangenen Hochwürdigsten Herrn Dr. h.c. Norbertus Weber, freiresignierten Erzabtes von St. Otteli, gehalten am 12. April 1956 in der Abteikirche von St. Otteli, p. 1 (typoscriptum in archivio Otteliensi asservatum, ASO, A.1.8.1); Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt Norbert Weber als Organisator benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Otteli 2003, p. 110.

⁴ Ut Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 328 et Cyrill SCHÄFER (2005), p. 35 commemorant, videtur Marianna filia iam satis mature vitā functā esse. Cyrill SCHÄFER



*Photographema familiae anno 1873/74° factum:
Iosephulus Weber ante genua matris positus.
[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 37.]*

De pueritiā autem Iosephi Weber non nimis multa sunt nota. Familia propter munus patris saepe locum mutare coacta erat, quā de causā diuturni contactūs cum aliis hominibus primā in pueritiā institui non potuerunt.⁵ Videtur Iosephus puer affabilis, sed aliquatenus verecundus timidusque fuisse.

Ad gymnasium frequentandum uterque filius domum parentum satis mature

(2005), p. 35 ad. 48 praeterea explicat illam filiam tantummodo in quodam photographemate familiae ut parvulam puellam conspici et de eā postea non iam mentionem fieri.

⁵ Ipse Norbertus Weber in epistulā die 24^o m. Maii a. 1921^o ad Fidelem von Stotzingen directā scripsit educationem suam ab rebus externis omnino seclusam fuisse (ex quā condicione indolem suam nimis verecundam explicat). - Textus huius epistulae exhibetur in documentorum appendice libri Cyrilli SCHÄFER (2005), pp. 240 sqq.

reliquit. Tempus autem scholare uterque Dillingae dedit.⁶ Ipse Iosephus Weber Dillingense Seminarium minus anno 1886^o intravit quindecim annos habens.⁷ Quo facto apparet eum munus sacerdotale petivisse.⁸ Videtur autem



*Familia Weber cum filiis seminaristis:
a sinistris: Maximilianus Weber; a dextris: Iosephus Weber iunior.
[Cryill SCHÄFER (2005), p. 38.]*

⁶ Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 330 scribit non esse notum, quis pueris Weberianis viam ad studia Dillingensia facienda aperuerit. Sed unā ex parte īdem commemorat matrinam Iosephi Weber fuisse Annam Lory Monacensem, uxorem alicuius officiarii regii. Illam autem de vitae viā opportunā filiani sui cogitavisse suspicandum est. Alterā ex parte tempore pueritiae iuventutisque Iosephi Weber saepe parochus localis, qui bonam indolem alicuis pueri animadvertisit, eidem instructione praeviā favit atque effecit, ut īdem ad gymnasium transiret.

⁷ Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 36; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 331; Suso BRECHTER (1956), p. 113; Chrysostomus SCHMID: Weber (1956), p. 218; Chrysostomus SCHMID: Ansprache (1956), p. 1 (ASO, A.1.8.1); Johannes MAHR (2003), p. 110; Godfrey SIEBER (1992), p. 131.

⁸ Iosephi frater Maximilianus duodecim annos habens iam Seminarium minus intravit. Cum Iosephus quindecim annos natus denique ad Seminarium minus transierit, Cyrillus

Iosephus Weber discipulus satis bonus fuisse.

Examine maturitatis superato Iosephus Weber ad Dillingense Seminarium maius transiit, unde in Lyceo Regio in studia philosophica atque theologica incubuit.⁹ Ut ex eius testimoniis appareat, īdem et in disciplinā philosophicā et in disciplinā theologicā erat optimus studens.¹⁰ Praetera inclinatio in artes atque eius facultates his in rebus illo tempore magis apparuerunt. Insuper in scientias naturales atque res technicas incumbere iam illo tempore multum sua intererat, quam indolem usque in senectutem servavit. Ceterum sub fine studiorum in Seminario ei etiam munus senioris traditum est, cuius officia, quae quidem diligenter exanclavit, tamen ei non ita placuerunt.¹¹

Scopus originalis studiorum Iosephi Weber erat in eo, ut sacerdos saecularis fieret. Tamen res aliter evēnērunt. Nam in Seminario Dillingensi īdem studentibus Ottilianis occurrit, qui quoque ibīdem in studia theologica incubuerunt.¹² Hōc contactū factum est, ut Iosephus Weber proposito missionario valde attraheretur.¹³ Illam vero cogitationem, quā ipse missionarius fieret atque domui Ottiliana se adiungeret, non iam depositum.

Itaque, cum commercium quoque atque commoratio cum Ottilianis Dillingae versantibus ei esset magni momenti, iam inter studia sua decrevit se monasterium Ottiliense ingressurum esse. Eā de causā iam in initio anni 1893ⁱ Iosephus Weber ad Prem Andream Amrhein, illius temporis superiorē generalem, se contulit petens, ut candidatus in domum missionariam recipe-

SCHÄFER (2005), p. 36 putat eundem antea ad aliud munus destinatum fuisse.

⁹ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 36; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 331; Johannes MAHR (2003), p. 110; Godfrey SIEBER (1992), p. 131. - Iosephi Weber frater Maximilianus iam antea Dillingae seminarista factus erat.


¹⁰ *Cfr* testimonia in archivio Ottiliensi asservata, quae ad cursūs philosophicos anni 1891/92ⁱ et ad cursūs theologicos anni 1892/93ⁱ spectant (ASO, A.1.8.1).

¹¹ Nam hōc munere fungens atque hunc in modum vices Regentis atque professorum gerens commilitones quadamtenus observare debuit spectans, quomodo in studia incumberent atque quomodo se gererent, et - si necessarium erat - eos vituperans. Hōc munus non ita amatum multas pugnas internas ei praebuit. - *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 43.

¹² Ottiliani fratres clerici, qui theologiae studuerunt, Dillingae in domo anno 1889^o conductā unā habitaverunt. - De hac re *cfr* ex. gr. supra cap. 3.4.1.3. adn. 53.

¹³ Similis condicio videtur etiam Cyrillo Wehrmeister fuisse, qui in recordationibus suis de impetū suo missionario Ottiliensique paulatim invento narrat. - *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), pp. 21 sqq. (typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, A.1.8.1)).

retur.¹⁴ P. Andreas Amrhein episcopum Augustanum illius temporis Pancratium von Dinkel adiit rogans, ut Iosepho Weber hōc permitteret. Episcopus autem Pancratius, qui - ut scimus - domui missionariae Ottiliensi favit,



*Delineatio monasterii Ottiliensis, quam Iosephus Weber anno 1893^o composuit,
cum ibidem versaretur (ASO, A.1.8.1).*

prudenter egit, cum licentiam quidem praebaret, sed solum sub hac condicione, quā Iosephus Weber antea studia sua theologica perficeret.¹⁵ Reliquo autem tempore studiorum Iosephus Weber studentibus Ottilianis artē se adiunxit, cum ipse esset futurus monachus atque unus ex illis, et etiam magis magisque in quaestiones condicionesque missionarias incubuit.¹⁶

¹⁴ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 41; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 333; Chrysostomus SCHMID: Weber (1956), p. 218; Chrysostomus SCHMID: Ansprache (1956), p. 1 (ASO, A.1.8.1).

¹⁵ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 41; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 333; Johannes MAHR (2003), p. 110. - Condicio, quam episcopus observandam postulavit, non solum erat prudens, cum esset notum P. Andream Amrhein propter desideria missionis studentibus Ottilianis saepe tantummodo studia abbreviata concedisse, sed etiam erat benigna, cum hunc in modum Iosepho Weber sumptibus dioecesis theologicam eruditionem solidam praebaret atque domui missionariae deinde theologum bene eruditum suppeditaret.

¹⁶ Etiam linguam Suahelicam discere iam cooperat.



Iosephus Weber circiter annum 1893^{um} cum studentibus Ottilianis.
A sinistris stantes: Fr Coelestinus Maier, Fr Alfonsus Adams, Fr Ambrosius Mayer, Fr Augustinus Hoffmann; in scanno sedentes: Iosephus Weber, Fr Placidus Vogel.
 [Cyrill SCHÄFER (2005), p. 39.]

Denique die 25^o m. Iul. a. 1895^o Iosephus Weber Dillingae sollemniter sacerdotio auctus est.¹⁷ Petrus von Hötzl episcopus Augustanus promissis praedecessoris interea vitā functi stetit et Iosephum Weber ad domum missionarium transire sivit. Itaque Iosephus Weber unā cum Magno Wehrmeister,¹⁸ quem quōque in seminario Dillingensi cognoverat et quocum antea de hac re convenerat, die 31^o m. Aug. a. 1895^o monasterium Ottiliense ut candidatus

¹⁷ Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 43; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 328; Johannes MAHR (2003), p. 110; Godfrey SIEBER (1992), p. 131; Suso BRECHTER (1956), p. 113; Chrysostomus SCHMID: Weber (1956), p. 218; Chrysostomus SCHMID: Ansprache (1956), p. 1 (ASO, A.1.8.1). - Eodem die sacerdotio aucti sunt Ottiliani Coelestinus Maier, Alfonsus Adam, Ambrosius Mayer, Augustinus Hoffmann, Placidus Vogel, qui omnes in photographemate supra exhibito cum Iosepho Weber conspicuntur.

¹⁸ Magnus Wehrmeister deinde nomen monasticum accepit, quod erat Cyrillus.

ingressus est.¹⁹ Post temporis spatium probationis novitiatum Kalendis Nov. a. 1895^o incohavit.²⁰

Cum Iosephus Weber monasterio Ottiliensi se adiungeret, ibīdem tempora aliquatenus perturbata iam vigebant, quae denique munere superioris generalis ab Ildefonso Schober in fine mensis Decembris a. 1896ⁱ suscepto iterum magis stabiliebantur.²¹ Praeterea illo tempore condiciones vivendi satis durae atque pauperes erant, ad quas novi novitii difficulter assuefiebant.²² Nihilominus impetus internus tam magnus erat, ut et Iosephus Weber et Magnus Wehrmeister manerent. Kalendis autem Novembribus a. 1896ⁱ Iosephus Weber vota sua protulit in manūs P.ris Bernwardi Baule²³ et nomen monasticum Norberti accepit.²⁴

¹⁹ *Cfr* Cyrus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 24; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 333; Godfrey SIEBER (1992), p. 131; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 44. - Cyrus Wehrmeister iam die 31^o m. Iul. a. 1893^o in sacerdotium receptus erat.

²⁰ *Cfr* Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 334; Johannes MAHR (2003), p. 110; Godfrey SIEBER (1992), p. 131.

²¹ De eventibus condicionibusque illius temporis *cfr* supra capp. 2.3.6.3 sqq.

²² De hōc primō tempore suō in monasterio Ottiliensi etiam Cyrus Wehrmeister in recordationibus suis narrat, ex cuius verbis condiciones illius temporis et eius perceptio propria bene animadvertisuntur. Sic ex. gr. de instructione novitiorum, quae erat in initio, et etiam de moribus strictis Beuronensibus, qui sub regimine Prioris P.ris Ludgeri Leonard introducti sunt, refert. Praeterea de cibis quōque mentionem facit, qui apud Ottilianos «miri» fuisse dicebantur. Se ipsum in initio non omnia comedere valuisse scribit Cyrus Wehrmeister, quamvis talibus in rebus generaliter non difficilis fuisse. Se ex. gr. aliquando iusculum cervesiarium accepisse, ad quod comedendum «charisma speciale» necessarium fuisse. - *Cfr* Cyrus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), pp. 26 sqq. (ASO, A.1.8.1).

²³ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 44; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 334; Suso BRECHTER (1956), p. 113; Johannes MAHR (2003), p. 110; Chrysostomus SCHMID: Weber (1956), p. 218; Chrysostomus SCHMID: Ansprache (1956), p. 1 (ASO, A.1.8.1), qui solum annum indicat. - Godfrey SIEBER (1992), p. 132 per errorem refert Norbertum Weber Kal. Nov. a. 1897ⁱ vota protulisse. Ex hōc errore videtur etiam provenire iudicium Norbertum Weber unum ex primis fuisse, qui Benedictina formatione Beuronensi fructi sunt. Sed cum Norbertus Weber et Cyrus Wehrmeister novitii essent, adhuc P. Cassianus Spiss Ottilianus erat magister novitiorum. P. Ludgerus Leonard Beuronensis demum inde ex mense Febr. a. 1897ⁱ novitios et reliquos monachos instruere coepit.

²⁴ Ut Cyrus SCHÄFER (2005), p. 44 commemorat, nomen Norberti ei inditum est secundum Sanctum Norbertum archiepiscopum Magdeburgensem atque fundatorem Ordinis Praemonstratensium († 1136).

Cum P. Norbertus Weber ingenium multiplex haberet,²⁵ quod ab aliis etiam celeriter agnoscebatur, votis prolatis statim plura variaque munera ei tradita sunt.²⁶ Sic ex. gr. erat magister in schola seminarii Ottiliensis, ubi imprimis scientias naturales atque mathematicam docuit.²⁷ Praeterea munere zelatoris functus est, quo magistrum novitiorum in novitiis erudiendis adiuvit. Insuper non solum sacristanus erat, sed etiam in curā animarum aliis in ecclesiis gerendā saepe auxilio erat. Satis celeriter Norbertus Weber sodalis senioratū electus est. Cum eius Latinitas diceretur esse satis elegans, ei impositum erat, ut scripta officialia documentaque Latine redderet. Sic etiam versionem Latinam Constitutionum, quae anno 1897^o exarata erant, Norbertus Weber fecit.²⁸ Cum mense Augusto a. 1900ⁱ P. Thomas Spreiter, qui usque tunc munere subprioris functus erat, in Africam mitteretur, Norbertus Weber eius successor, id est subprior factus est.

Norbertus Weber in monasterium Ottiliense ingressus est, quia missionarius fieri voluit. Sed etiam haec res per multos annos aliter evēnit, cum die 18^o m. Dec. a. 1902^o - duobus diebus ante diem natalem tricesimum secundum - primus abbas huius monasterii eligeretur.

4.2. DE PRIMIS INCEPTIS ABBATIS

Munere abbatis suscepto Norberto Weber non erat tempus quiescendi, cum multa restarent atque instarent facienda.

Sollemnitate benedictionis abbatialis Kal. Febr. a. 1903^o peractā etiam officiale «tempus Beuronensium» ad finem vergebatur. Itaque die 11^o m. Febr. a. 1903^o P. Ludgerus Leonard Beuronensis, qui sex annos munere Prioris in monasterio Ottiliensi fungebatur atque in condicionibus monasticis Benedictinisque instituendis fuerat magni momenti, abbatiam reliquit.²⁹ Etiamsi

²⁵ Certe Cyrillus SCHÄFER (2005), p. 51 recte iudicat Norbertum Weber propter tale ingenium multiplex ab praematurā morte in regione missionariā servatum esse, quia Ottiliani eius facultatibus in domo maternā indigebant.

²⁶ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 51 sq.; Frumentius RENNER: Weber (1976), pp. 334 sq.; Suso BRECHTER (1956), p. 113; Chrysostomus SCHMID: Weber (1956), p. 219; Chrysostomus SCHMID: Ansprache (1956), pp. 1 sq. (ASO, A.1.8.1); Godfrey SIEBER (1992), p. 132; Johannes MAHR (2003), p. 113.

²⁷ Hōc munere videtur iam inter novitiatum functus esse.

²⁸ De hac re *cfr* supra cap. 3.3.3.1.

²⁹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Febr. a. 1903; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 63; Hartmut MADL: P. Coelestin Maier (1871-1935). Winzer 1999, p. 78; Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien²1979, p. 325 adn. 379.

quaedam difficultates inter monachos Ottilienses et P. rem Ludgerum iterum iterumque exortae sunt (imprimis quia idem impetum eorum missionarium non ita bene intelexisse videtur et quia in rebus monasticis omnino severus erat), tamen Ottiliani grati erant ob omnia, quae ad consociationem stabilendam fecerat. Etiam ipse P. Ludgerus - plus quam antea monstrare valuerat - monasterio Ottiliensi adhaesisse videtur, cuius primus abbas libenter factus esset vel - si hoc fieri non potuisset - saltem Prior sub abbate Norberto manisset.³⁰ Itaque ei valedictio non erat facilis. Abbas Norbertus Weber Ludgerum Leonard in eius itinere Beuronensi comitatus est, unā ex parte ut eidem honorem tribueret, alterā ex parte ut ipse archiabbiati Beuronensi pro auxilio praebito gratias ageret.

Mense Februario a. 1903ⁱ Norbertus Weber etiam visitationibus aditialibus, quae dicuntur, se novum abbatem Ottiliensem praesentavit apud Principem Administratorem, apud administrum publicum rei culturalis, apud archiepiscopum Monacensem et apud Monacensem Nuntium Apostolicum.³¹

Tamen iter quoddam ei erat maximi momenti. Nam die 15^o m. Apr. a. 1903^o Seccoviam se contulit, ut ibidem ipse praesens imprimis Ildefonso Schober, qui morbo impeditus erat, quominus sollemnitatem benedictionis abbatialis participaret, gratias ageret propter eius opera multiplicia meritaque plurima in favorem monasterii congregationisque Ottiliensis exhibita.³²

Illa itinera illaeque visitationes erant res externae atque partim magis officiales. Sed ad consociationem quandam administrandam structurae quaedam sunt necessariae, id est varii homines pro variis rebus operibusque sint responsales oportet. Itaque die 20^o m. Febr. a. 1903^o primā vice sub abbe Norberto Weber munera distribuebantur.³³ Munus autem Prioris P. ri Coelestino Maier traditum est³⁴ et Subprior illo tempore factus est P. Martinus

³⁰ Cfr ex. gr. Cyrilus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 36 (ASO, A.1.8.1); cfr etiam epistula Ildefonsi Schober die 15^o m. Sept. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1).

³¹ Cfr Chron. Ottil. m. Febr. a. 1903; Missionsblätter 7, 1903, p. 85.

³² Cfr Chron. Ottil. m. Mart./Apr. a. 1903; Missionsblätter 7, 1903, p. 85.

³³ Cfr Chron. Ottil. m. Febr. a. 1903; Frumentius RENNER: Mutterabtei Sankt Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Frumentius RENNER (ed.): Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien 1992, p. 2; Hartmut MADL (1999), pp. 78 sq.

³⁴ Iuxta munus Prioris Coelestinus Maier etiam mansit cellararius. Hartmut MADL (1999), p. 78 adn. 2008 quidem scribit non esse clarum, quamdiu idem etiam cellararius manserit, sed ex Chronicis apparent die 7^o m. Mart. a. 1904^o P. rem Paulum Sauter munus

Malter.³⁵

Sed his abbatiae novae primis annis nonnullae quaestiones generales fundamentalesque adhuc erant solvendae (quae tamen non erant ultimae). Imprimis autem agebatur de quaestionibus iuridicis, quae ad congregationem ducendam spectabant. Difficultates enim atque dissensiones hanc ob causam exortae sunt cum consociatione sororum eiusque superiorissā atque cum episcopo Augustano. Condicio propter ipsam structuram congregationis Ottiliensis erat paululum difficilis. Nam éadem ita fundata erat, ut pars virorum atque pars mulierum sub dictione superioris generalis in rebus missionariis artē cooperarentur et sorores pars totius congregationis missionariae essent. Tamen cum Ildefonsus Schober primam visitationem canonicam institueret et deinde superior generalis esset, statim ab ipso, ab episcopo, ab Sanctā Sede atque ab regimine Bavarico postulabatur, ut monasterium sororum quam primum ab loco Ambingensi Ottiliensique amoveretur atque maiore distantiā locali constitueretur.³⁶ Tamen de separatione iuridicā administratoriāque nihil exactum dicebatur.³⁷ Nihilominus de sororum statū generali in Constitutionibus anni 1897ⁱ legitur eas ut consociationem sub dictione episcopi dioecesis esse, qui quidem iura sua magnā ex parte ad superiorem generalem Ottiliensem transferret.³⁸

Cum haec conventio usque tunc satis bene operata sit, videtur abbas Norber-

cellararii suscepisse. - *Cfr* Chron. Ottil. m. Mart./Apr. a. 1904.

³⁵ Omnes tres superiores abbatiae Ottiliensis anno 1903^o inter viros iuniores numerabantur, cum unusquisque triginta duos annos haberet: Norbertus Weber natus 20.12.1870; Martinus Malter natus 14.10.1870; Coelestinus Maier natus 9.6.1871.

³⁶ *Cfr* supra cap. 3.3.2.1.

³⁷ Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 193 tamen scribit postulatum fuisse, ut sorores magis sui iuris fierent, quā de causā quoad administrationem atque progressum proprium separatio manifesta ab congregationis parte virorum necessaria fuisset.

³⁸ *Cfr* Constitutiones Congregationis Ottiliensis OSB pro missionibus exteris cum Appendice. St. Ottiliae 1897 (ASO, K.1.1), pp. 181 sq. [manuscripti]: «*Appendix Missionis. D. De ratione et relatione, qua cum sororibus utatur: 1. Domus mater et monasterium religiosarum S.^{ae} Catharinae secundum Tridentinum episcopo dioeceseos subditum est, qui 2. iura sua aut ex toto aut partim superiori generali demandat, in radice autem plura iura retinet (approbationem confessiarum, examen ante vestitionem et professionem, praesidium in eligenda Priorissa, Abbatissa, custodiam clausurae ...) [...] 3.f.) Denique communis superior generalis monasteriis et fratribus et sororum praest.*» - Textus originaliter Latinus.

tus putavisse se eādem magnam licentiam in consociationem sororum habere. Itaque impulsū novi muneris tractus in res sororum magis se inseruit quam earum superiorissae Birgittae Korff placuit.³⁹

Deliberationes atque quaestiones de hac re in Norberto Weber iam vere mature exortae esse videntur. Nam īdem iam die 25^o m. Ian. a. 1903^o ad abbatem primatem Hildebrandum de Hemptinne se convertit interrogans, num ipse, qui tunc esset abbas Ottiliensis, etiam superior generalis congregatiōnis esset et num sibi ut superiori generali in rebus quōque sororum missionariarum ius esset.⁴⁰ Norberto Weber respondens abbas primas scripsit de Norberti statū superioris generalis non esse dubitandum, sed condicionem quoad sorores missionarias non tam facilem esse, cum eaēdem exemptione non fruerentur et in Bavariā sub dictione episcopi dioecesis essent, in regione vero missionariā sub iurisdictione Vicarii Apostolici essent.⁴¹

Quamvis autem hōc responsō condicio aliquatenus clara fuisse videretur, tamen difficultates non erant finitae. Punctum vero - ut suspicio est⁴² - , quod in dissensione inter Norbertum Weber et Birgittam Korff fuit alicuius momenti, erat in eo, quod Norbertus Weber de munere missionario, quod sorores in Brasiliā susceperant, aliam perceptionem habuit ac superiorissa et īdem in hanc rem se ingessit.⁴³ Praeterea haec res paulo difficilior reddita est, quia

³⁹ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), pp. 66 sq., qui etiam scribit Norbertum Weber hac iurum delegatione sibi vindicavisse ius, quo sororum res oeconomicas inspiceret, earum monasteria visitatione diiudicaret, de sororibus in regionem missionariam mittendis decerneret. - Ceterum in litteraturā secundariā, quae ad hoc spatium temporis spectat, de his difficultatibus sive nihil invenītur sive condicio solum adumbratur vel non satis clare explicatur. Unica exceptio est Cyrilus SCHÄFER (2005), pp. 64 sqq., qui hanc rem distincē, exacte atque satis fuse exhibet.

⁴⁰ Cfr epistula Norberti Weber die 25^o m. Ian. a. 1903^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.2.2.1). - Ceterum haec epistula atque responsum ad ipsam nullā in inquisitione posteriore commemoratur.

⁴¹ Cfr epistula Hildebrandi de Hemptinne die 29^o m. Ian. a. 1903^o ad Norbertum Weber data (ASO, A.2.2.1). - Suasit autem abbas primas praeterea, ut Norbertus Weber de hac quaestione etiam consultationes cum visitatore Ildefonso Schober iniret. Si enim episcopus Augustanus iurisdictionem suam abbati cederet vel abbatem vicegerentem suum redderet, problema esset solutum.

⁴² Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 66.

⁴³ De sororum missione Brasilianā *cfr* Irmengard BACHEM: Mutter M. Birgitta Korff OSB. Ein Bild ihres Lebens, Wirkens und Wesens. München 1938, pp. 101 sqq.; Bernita WALTER (1985), p. 197; Ruth SCHOENENBERGER: St. Ottilien und Tutzing - getrennt verbunden. In: Godfrey SIEBER / Cyril SCHÄFER: Beständigkeit und Sendung.

illud munus missionarium erat primum, quod soreres sine consociatione virorum suscepérant.

Cum Norberti Weber impetus gubernandi superiorissae Birgittae displiceret, éadem die 20^o m. Mart. a. 1903^o epistulariter ad episcopum Augustanum Maximilianum von Lingg se convertit eum rogans, ut «nimium studium» abbatis iuvenilis refrenaret.⁴⁴ Quoad rem suam prudenter agens Mater Birgitta asseveravit se, cum abbati resisteret, tantummodo iura episcopi defendere. Episcopum Maximilianum maxime sensibiliter reagere, cum iura sua vel iura regiminis Bavarici tangi viderentur, bene notum erat. Itaque episcopus superiorissae statim subvēnit eius perceptionem rei affirmans.

Sed hoc Norberto Weber non sufficiebat. Cum enim conexum iuridicum inter virorum partem Benedictinae congregationis missionariae et partem sororum exacte scire vellet, die 12^o m. Nov. a. 1903^o scriptum exaratum ad episcopum misit, quo perceptionem suam distincte exhibuit.⁴⁵ Explicuit enim sorores ab initio partem constitutivam Benedictinae consociationis missionariae fuisse, id quod propter cooperationem artam atque eosdem scopos esset utile. Itaque etiam administrationem communem secundum suam sententiam esse utilem, quā de causā omnia iura maioris momenti necessario in manū suā coniunctā esse deberent, etiamsi éadem abbati ab episcopo delegarentur.

Aperte agens Norbertus Weber superiorissae de scripto suo rettulerat. Ipsa autem die 14^o m. Nov. a. 1903^o statim denuo ad episcopum se convertit explicans maximam perturbationem futuram esse, si de sorte sororum praeter superiorissam atque episcopum etiam superior generalis quidam iudicaret, et praferendum esse, si monachi Ottilienses sorores tantummodo spiritualiter curarent.⁴⁶ Certe episcopus ipse iam eandem opinionem de hac re habuit. Itaque responso suo die 21^o m. Nov. a. 1903^o ad abbatem Norbertum dato ei

St. Otilien 2003, pp. 198 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 66. - Iam anno 1902^o Gerardus [Gérard] de Caloen, qui inde ex anno 1896^o erat abbas Olindae in Brasiliā septentrionali, sorores Ottilienses rogaverat, ut ibidem auxilium ferrent. Ildefonso Schober annuente illo tempore haec conventio constituta erat. Die autem 29^o m. Iun. a. 1903^o (ceterum eodem die, quo Ottiliensis ecclesia abbatialis consecrata est) octo sorores missionariae in Brasiliā profectae sunt. - *Cfr* Bernita WALTER (1985), p. 197; Ruth SCHOENENBERGER (2003), p. 199; Irmengard BACHEM (1938), pp. 78, 102, quae per errorem diem 29^o m. Iul. a. 1903^o indicat.

⁴⁴ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 66.

⁴⁵ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 66 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 194.

⁴⁶ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 67.

distincte dixit sorores sine ullo dubio atque sub omnibus aspectibus episcopo subditas esse et abbatis solum esse, ut officia ei delegata diligenter exan- claret, quā de causā abbas in futurum in res sororum non iam se immisceret.⁴⁷ Modus autem, quo episcopus respondit, non erat nimis affabilis et erga abbatem, qui non erat eius subditus, non vere conveniens. Si episcopus Maximilianus aliam indolem habuisset,⁴⁸ tota res verisimiliter facilius solvi potuisset. Sed rebus sic stantibus abbas Norbertus - etiam quadamtenus offensus - gratias ei egit affirmans se tunc non iam superiorem generalem sororum esse existimare.⁴⁹ Res videbatur finita - sed solum videbatur.

Mense Aprili a. 1904ⁱ, id est inter dies 16^{um} m. Apr. et 22^{um} m. Apr.,⁵⁰ Ilde- fonsus Schober, quem Congregatio de Propaganda Fide mense Julio a. 1902ⁱ monasterii Ottiliensis visitatorem generalem reddiderat,⁵¹ ad abbatiam Otti- liensem vēnit, ut canonicam visitationem ordinariam institueret, quae erat quarta quidem, sed prima inde ex tempore, quo monasterium fiebat abbatia. Iis autem condicionibus, quae invēnit, vere contentus erat. Hōc etiam in visitationis relatione die 24^o m. Apr. a. 1904^o exaratā verbis suis distincte ex- pressit.⁵²

Tamen eodem tempore Ildefonsus Schober comperit, quid interea inter

⁴⁷ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 67; Bernita WALTER (1985), pp. 194 sq., quae praeterea scribit in illo responso episcopi legi abbatīa erectā non iam exstare superiorem generalem, sed tantummodo abbatem Benedictinorum atque sui iuris superiorissam Congregationis Benedictinarum, quae sub dictione episcopi essent. Tamen videtur episcopus hac in re non omnino recte dixisse, cum ex totā structurā congregationis missionariae superior quidam generalis necessarius esset. - Cfr etiam epistula Hildebrandi de Hemptinne supra commemorata (adn. 41).

⁴⁸ De indole Maximiliani v. Lingg cfr iam supra cap. 3.4.4.

⁴⁹ Epistulā die 23^o m. Nov. a. 1903^o datā. - Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 67.

⁵⁰ Cfr Chron. Ottil. m. Mart./Apr. a. 1904; Missionsblätter 8, 1903/04, p. 192.

⁵¹ Cfr supra cap. 3.4.1.4.

⁵² Cfr Ildefonsi Schober relatio visitationis die 24^o m. Apr. a. 1904^o data (ASO, A.2.2.1). - Ibīdem praeter alia scripsit «*aedificium materiale atque spirituale abbatiae congregationisque esse in tali bono statū, quo optimae spes afferuntur*». (Textus originaliter Theodiscus). Refert autem de aedificiis monasterialibus, de seminariis, de novitiatū bene se habente, de studiis clericorum patrumque, de abbatiae statū oeconomico satis bono. Cordi tamen ei erat, ut Constitutiones definitive redactae quam primum Romam mitterentur atque ibīdem approbarentur. - In epistulā comitatoriā, quam Ildefonsus Schober die 24^o m. Apr. a. 1904^o ad Hildebrandum de Hemptinne direxerat (ASO, A.1.8.1), insuper scripsit abbatem esse «*verum virum Dei*» et «*omnia bene progredi*».

episcopum Augustanum et abbatem Norbertum quoad consociationem sororum factum esset. Quam rem ipse aegre tulit. Itaque ipse die 30^o m. Apr. a. 1904^o denuo ad episcopum se convertit scribens se visitatorem congregacionis tali iudicio nullo modo assentiri posse, atque similibus argumentis ac antea Norbertus Weber episcopo explicare conatus est ex structurā congregationis necessarium esse, ut illae duae partes - et mulierum et virorum - sub superiore generali quodam cunctitas manerent.⁵³ Annuntiavit autem episcopo se hōc problema ad decernendum etiam Congregationi de Propaganda Fide propositurum esse.⁵⁴ Hōc die 18^o m. Iun. a. 1904^o fecit Cardinali Antonio Gotti exhibens quaestiones has:⁵⁵ 1. Estne abbas Otteliensis etiam supe-

⁵³ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 67. - Etiam in visitationis relatione (p. 7 (ASO. A.2.2.1)) Ildefonsus Schober hōc punctum affert scribens futuram relationem consociationis sororum cum consociatione virorum et cum superiore generali atque earum statum in congregatione necessario diiudicari debere. - Similiter in epistulā die 24^o m. Apr. a. 1904^o ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1), ubi praeterea scribit abbatem in hac re, quae ad sorores pertinet, modo vere offensivo ab episcopo tractatum esse. - Descriptio autem, quam Bernita WALTER (1985), pp. 193 sqq. de totā re exhibit, partim est paulum perturbans, quia eius verba insinuare videntur Ildefonsum Schober eandem opinionem habuisse ac episcopus atque superiorissa. Ex epistulis Ildefonsi Schober tamen contrarium apperet.

⁵⁴ Cfr epistula Ildefonsi die 2^o m. Maii a. 1904^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1), quā refert se commentarium hanc quaestionem tractantem atque Congregationi de Propaganda Fide destinatum ad episcopum quōque misisse, ut eiusdem adnotationes cognosceret (sed se usque tunc nullum responsum accepisse).

⁵⁵ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 67 adn. 123; Bernita WALTER (1985), pp. 195 sq. - Eodem die Ildefonsus Schober aliam epistulam ad abbatem primatem misit, quā exposuit, quam urgens solutio problematis esset. Nam abbas Norbertus dixerat se, nisi ante transmigrationem sororum ad Tutzingam res constitutae essent, sororibus sive episcopo confessionarium recusaturum esse. Ildefonsus autem Schober nullo modo optavit, ut hōc accideret, antequam Congregatio de Propaganda Fide hunc casum iurisdictionis decrevisset, cum adhuc putaret Vaticanum non in favorem episcopi iudicaturum esse. - Cfr epistula Ildefonsi Schober die 18^o m. Iun. a. 1904^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1). - Paucis diebus antea abbas primas Ildefonso Schober scripserat necessarium esse id efficere, ut ecclesia atque res publica consentirent, et duo proposita exhibuit, quomodo hōc fieri posset (cfr epistula Hildebrandi de Hemptinne die 14^o m. Iun. a. 1904^o ad Ildefonsum Schober missa (ASO, A.2.2.1)). Ad haec proposita Ildefonsus Schober in epistulā supra commemoratā respondit éadem esse theoretice bona, sed practice difficulter ad effectum adducenda, cum unā ex parte - quia nullo loco grapheocratia ita floreret ut in Bavariā - régimenem Bavanicum vindiciis suis nullo modo cederet, alterā ex parte praesens episcopus Augustanus numquam quicquam faceret, quo cum regimine Bavarico aliquo modo

rior generalis Congregationis? 2. Constatne Congregatio etiam in futurum ex parte virorum et ex parte mulierum, dum utraque pars tamen est sui iuris? 3. Suntne superiori generali éadem iura ac fundatori, cui ampla iura quoad sodales viros et sodales mulieres erant? 4. Fingantne sorores in futurum propriam Congregationem, quae soli episcopo locali subdita est?

Circiter uno mense post, id est die 20º m. Iul. a. 1904º, responsum Cardinalis Antonii Gotti Praefecti Congregationis de Propaganda Fide allatum est.⁵⁶ Omnibus autem in punctis perceptio episcopi affirmabatur, etiam quod attinet ad eius ius, quo officia ad abbatem delegaret. Ildefonsus Schober et abbas Norbertus Weber huic iudicio cesserunt hunc in modum etiam dissensiones ampliores cum regimine Bavarico vitantes.⁵⁷ Sed hōc iudicio Vaticano effectum est, ut separatio iuridica sororum ab parte virorum definitive institueretur. Itaque transmigratio sororum ad novum monasterium Tutzingense, quae die 29º m. Iul. 1904º facta est et quae iam pridem praevisa erat, alium valorem habuit.⁵⁸

Sed quod Congregatio de Propaganda Fide hac in quaestione hunc in modum decrevisset, etiam aliam sequelam habuit. Nam iam pridem - uti iam audivimus - ordinarius Augustanus et imprimis régimenem Bavanicum difficultates habebant, quae ad Ildefonsum Schober eiusque ius visitationis spectabant, cum abbas Ildefonsus Seccoviensis non esset Bavarus atque eius abbatia ad Congregationem non-Bavaricam pertineret. Haec condicio non ita efficax ab initio Ildefonso Schober displicuerat. Cum autem anno 1903º Antonius von Wehner Bavariae minister publicus rei culturalis factus esset, propter eius opiniones, quas hac in re habuit, melioratio huius condicionis non erat expectanda, e contrario. Sed «ultima guttula», ut ita dicam, videtur responsum Vaticanum in quaestione sororum fuisse, quo iura episcopi confortabantur in

collideret.

⁵⁶ Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 68; Bernita WALTER (1985), p. 196.

⁵⁷ Responso Vaticano accepto Ildefonsus Schober abbati primati confessus est rem aliter evenisse ac ipsum exspectavisse (*cfr* epistula die 27º m. Aug. a. 1904º ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1)). Ipse abbas primas quōque de responso miratus erat et suspicatus est iudicium Congregationis de Propaganda Fide sic evenisse, quia Vaticanum dissensiones cum Francogallia habens insuper difficultates cum regimine Bavarico vitare voluisset (*cfr* epistula Hildebrandi de Hemptinne mense Augusto a. 1904º ad Ildefonsum Schober missa (ASO, A.2.2.1)).

⁵⁸ Cfr Missionsblätter 8, 1903/04, p. 192; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (²1992), p. 11; Irmengard BACHEM (1938), p. 78; Bernita WALTER (1985), pp. 200 sq.; Johannes MAHR (2003), p. 114; Ruth SCHOENENBERGER (2003), p. 199.

detrimentum non solum abbatis, sed etiam visitatoris.⁵⁹ Itaque Ildefonsus Schober iam mense Augusto a. 1904ⁱ decrevit se munus visitatoris Otteliensis depositurum esse⁶⁰ et revera die 20^o m. Nov. a. 1904^o petitionem dimissionis ad Congregationem de Propaganda Fide misit.⁶¹ Muneris autem abdicatio ab Vaticano accepta est,⁶² sed titulus «Visitatoris Apostolici» voluntate Cardinalis Antonii Gotti Ildefonsus Schober retinere potuit et insuper honorifico «*titulo Reformatoris atque fore parentis Congregationis Otteliensis*» auctus est.⁶³

Haec res paulo intricata et generaliter non nimis iucunda denique aliquatenus

⁵⁹ Hanc fuisse causam magni momenti etiam suspicatur Cyrilus SCHÄFER (2005), p. 69 adn. 130. - Mirum in modum etiam Cyrilus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 37 (ASO, A.1.8.1) scribit Ildefonsum Schober per aliquod spatum temporis visitatorem monasterii Otteliensis fuisse, eum tamen hōc munere se abdicavisse, cum de relatione cum sororibus Romae non secundum eius perceptionem rei decretum esset, sed sorores dicioni episcopi Augustani subditae essent.

⁶⁰ Cfr ex. gr. epistula Ildefonsi Schober die 27^o m. Aug. a. 1904^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1), quā praeter alia etiam scripsit timendum esse, ne episcopus Augustanus statutis ab re publicā approbatis nisus exemptionem quoque abbatiae Otteliensis non agnosceret, quā de causā visitator apostolicus tantummodo episcopo consentiente visitationem canonicam etiam in Otteliensi monasterio virorum instituere posset. Talem vero condicionem non bene convenire cum decreto Romano, quo ipsi munus visitatoris traditum esset. Antequam officiale petitionem dimissionis mitteret, se velle votum abbatis primatis audire. - Cfr etiam epistula Hildebrandi de Hemptinne mense Augusto a. 1904^o ad Ildefonsum Schober missa (ASO, A.2.2.1) et eiusdem epistula die 8^o m. Nov. a. 1904^o data (ASO, A.2.2.1).

⁶¹ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 69 adn. 130. - Cfr etiam epistula Ildefonsi Schober die 22^o m. Nov. a. 1904^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1), quā praeter alia rettulit se petitionem dimissionis ad Congregationem de Propaganda Fide misisse. Occasione autem, quā abbas Norbertus Weber Romae versaretur, se usum esse, cum īdem Cardiali Antonio Gotti argumenta Ildefonsi Schober explicare posset.

⁶² Die 14^o m. Dec. a. 1904^o. - Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 70 adn. 131.

⁶³ Cfr Cyril SCHÄFER (2005), p. 70 et adn. 131. - Cfr etiam epistula Hildebrandi de Hemptinne die 16^o m. Dec. a. 1904^o ad Ildefonsum Schober data (ASO, A.2.2.1), quā īdem suspicabatur, quales causas Congregatio de Propaganda Fide habuisset, ut hanc «viam intermedium» ingrederetur. Nam abbas primas putavit Sanctam Sedem hunc in modum imprimis merita Ildefonsi Schober agnoscerere voluisse; deinde eandem propter difficultates cum regimine Bavarico atque cum ordinariatu episcopali Augustano decretum, quo Ildefonsus Schober visitator factus est, retrahere noluisse; denique eandem praeterea possibilitatem visitationis futurae, si quae necessaria esset, demere noluisse.

solvebatur, ita ut condiciones tunc satis clarae essent. Eodem autem tempore, quo de muneris abdicatione Ildefonsi Schober Congregatio de Propaganda Fide decrevit, ipse abbas Norbertus Weber Romae versabatur. Tamen causa ei erat alia. Nam quaedam dubitationes exortae erant, num Congregatio Ottiliensis revera pertineret ad Confoederationem Benedictinam, quia Ottilia-norum Congregatio nondum constituta fuissebat, cum anno 1893^o Confoederatio Benedictina fundaretur. Ut has dubitationes amoveret, casum Ottilianum Norbertus Weber papae Pio X audientiā privatā mense Novembri a. 1904ⁱ praebitā proposuit.⁶⁴ Textus autem petitionis, quam et abbas Norbertus Weber et abbas primas Hildebrandus de Hemptinne subscripserant, est hic:⁶⁵

«Beatissime Pater! Cum dubium adesse possit, num Congregatio Ottiliensis unita sit Congregationi Cassinensi ceterisque Congregationibus, qua ab anno 1893 Confoederationis titulo uniuntur, ea scilicet causa, quod praedicta Congregatio Sanctae Ottiliae illo tempore nondum creata erat, humilis Orator annuente et commendante infrascripto Abate Primate O.S.B. Sanctitatem Vestram humiliter rogat, ut Ipse Congregationem S. Ottiae unitam declarare dignetur Cassinensi aliisque confoederatis Congregationibus, ita ut iisdem, quibus hae, privilegiis gaudere possit.» Papa autem manū propriā statim documentum subscrīpsit verbis his: *«Iuxta preces pro gratia et ad effectum.»*

Hunc in modum congregatio Ottiliensis Confoederationi Benedictinae adiuncta est congregatio tertia decima atque omnes dubitationes hac in re amotae erant. Sequela autem huius receptionis erat in eo, quod abbatia Ottiliensis deinde magnā ex parte Congregationi Religiosorum subdita erat, solum cum ageretur de quaestione missionariis et de monasteriis in regione missionariā sitis Congregatio de Propaganda Fide mansit responsalis.

Sed his duobus primis annis, quibus Norbertus Weber munere abbatis fungebatur, non solum quaestiones iuridicae tractabantur. Magni enim momenti

⁶⁴ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 327; Johannes MAHR (2003), p. 115; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 70; Frumentius RENNER: Die Kongregation von St. Ottilien und ihre Filialen. Zum hundertjährigen Bestehen St. Ottiliens. In: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 33.

⁶⁵ Petition die 22^o m. Nov. a. 1904^o exhibita (ASO, A.2.2.1; A.2.1.3). - Textus originaliter Latinus. - Norbertum Weber iam diutius deliberavisse de quaestione, quā abbatia Ottiliensis alicui aliae Congregationi - sive Cassinensi sive Beuronensi - affiliaretur, appareat ex. gr. ex eius epistulis die 3^o m. Maii a. 1903^o et die 19^o m. Sept. a. 1903^o ad Hildebrandum de Hemptinne directis (ASO, A.2.2.1).

erat, quod iam primi impulsūs dabantur, quibus abbatia extenderetur (et intrinsecus et extrinsecus), fundamenta sua stibilirentur atque nova incepta susciperentur. Sic ex. gr. agebatur de seminario missionario extendendo, de



Abbas Norbertus Weber cum conventu patrum circiter annum 1905^{um}.
[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 65.]

ecclesiā abbatiali conficiendā consecrandāque, de oeconomiā meliorandā, de domo editoriā condendā, de variis opificinis sive instituendis sive amplificandis, de novis domibus Bavaricis fundendis,⁶⁶ et sic porro. Usque ad finem anni 1904ⁱ et ad initium anni 1905ⁱ multa ex his rebus sive incohata sive confecta erant. Sed deinde abbas Norbertus Weber aliam rem aggredi debuit, quae cum primario scopo missionario cohaerebat.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 187, 2012, pp. 37-54]

⁶⁶ De singulis aspectibus *cfr* infra capitula specialia.